

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae**

**Omichius, Franciscus**

**Noribergae, 1617**

Actus V. Scena 5

[urn:nbn:de:bsz:31-138648](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138648)

supplicium ducat, ac gladio caput ejus recidat.

PHILOT. Mox curabitur. Dromo, ubi es?

DROM. Adsum Here, quid vis? impera,

PHILOTYR. Ad lictorem ocyus curre, & ut Pythiam è carcere eductum hodie obruncet, jube.

DROM. Parebitur mandatis tuis, Here: ne dubita.

*Actus V. Scena 3.*

DROMO, LICTOR, PYTHIAS, SERVUS  
LICTORIS, DIONYSIUS.

**A** Rridebit lictori hic nuncius, fat scio.  
Verum, si quod sentio dicendum est: cum urbis silvestribus versari mallet, quam cum isto cruoris avidissimo homine. Nam ubi ex me audiverit, sanguinem alterius per se fundendum esse: gaudio exultabit. Quamvis non nesciat, captivum illum Pythiam tam procul ab omni culpa abesse, quam ego sum. Ac nisi oculis parum prospicio, ille ipse istic adstat cum servulo. Heri itaq; imperia volens nolens exsequar. Heus tu, serio edixit rex,  
ut

ut Pythiam eum, qui vas pro Damone factus est, ex custodia in publicum productum, capite plectas,

LICTOR. Hic nuncius mihi gratissimus, & auro contrà charus est. Atq; utinam & tu similem lueres pœnam, meisq; manibus hodiè arbori infelici suspendereris! Adesdum servule: ut captivum illū è custodia tenebris extrahamus, & brevi tempore ad plures dimittamus. Sic enim confectis laboribus, dulce erit ad vesperam quiescere, & largiori haustu nos invicem recreare.

Tu Pythia, exire te hinc Rex jubet: factis enim diu hic cessatum est. Quod si spondisti: noxam quoq; præstò esse memineras. Nam ego caput tuum ita dextrè amputabo, quasi nunquam collo positum fuisset. Efficiamq; , ne pro quoquam posthac amico fidem tuam interponas. Nónne credis, me tam scitum esse artificem?

PYTHIAS. Quamvis tu nugator absis, tamen ego mortem a quo animo operam: nec quicquã de amici fide cõquerar. Nullus enim dubito, quin rediturus fuisset,

set, nisi vis major ipsum prohibuisset. Sæpius enim antehac animus ejus, omnis doli ac fraudis expers, mihi est perspectus.

**LICTOR.** Frustra hæc tibi occinis, Ego enim lubricam ipsius fidem censeo.

**SERVUS LICTORIS.** Vah! tu homo nimis es credulus Ego enim tùm demum rediturum opinor Damonem, cùm rectè ingredientur cancri. Ac sanè vervecum in patria is mihi natus videretur, si hîc in carcere mortem opperiri, quàm domum uxore ac liberis tutò mallet vivere.

**PYTHIAS.** Magnum necesse est impedimentum illi objectum fuisse. Nam alioquin promissis suis stetisset, fidemq; suam, & me periculò liberasset.

**LICTOR.** Quicquid illo fiat, non euro. Tu modò propera, ut justa regis capefiam.

**PYTHIAS.** Mane fodes paulisper, dum ego regem, qui nobis obviam venit, extremum alloquar. Postmodò agas, quod lubet.

**LICTOR.** Hujus quidem voti te com-potem facere non recusabo, Verùm ne longo

longo sermone nos moreris. Interim hoc poculum tibi propino.

PYTHIAS. Potum equidem non appeto. Sed potius regem affari desidero. Nam oculos suos in me direxisse videtur.

DIONYSIUS Scis Pythia, quod me dissuadente, tibi ipse hoc malum accersiveris. Quod ergo tibi intristi, nunc exedendum est: sic vetus verbum jubet. Nam quia rectè monentem audire noluisti: tibi hanc ærumnam necesse est imputes. Ego verò prudentiorem te existimassem, quàm ut tam temerè te objiceres periculo.

PYTHIAS. Etsi Clementissime Rex, mortem mihi oppetendam video, quam pleriq; mortales vel cogitatione perhorrescunt: neminem tamen accuso, cum sponte & consultò me reum pro amico supposuerim. Quia ergo ad diem dictam ille non redijt, adversis (ut auguror) casibus prohibitus: par est, ut egomet pœnam illam, quam mihi irrogavi, subeam. Ac sanè libenter & æquissima mente subibo. Hoc tamen te oro, Rex Serenissime: ut iram illam adversus Damonem conce-

conceptam, meo supplicio satiatus de-  
ponas: ejusq; vitæ, quam ego mei capitis  
supplicio redemi, parcas. Nam quovis sa-  
cramento ausim contendere, ipsum pau-  
cis diebus post Syracusas reversurum:  
Cumq; me gladio percussum esse intelli-  
get: tam impatienter mortem meam do-  
licurum, ut ægritudine animi tantum non  
conficiatur: ac propterea supplicaturum  
tuæ majestati, ut eodem in loco eodem  
afficiatur supplicio, quod ego in fide con-  
stans pertuli. Quod si igitur postulaveris:  
obtestor te, ô Rex, ne postulatis ipsius an-  
nuas: sed ita clementer illum tractes, ut  
permissu tuo incolumis ad suos redire, ac  
passim prædicare possit, se fidelis amici o-  
perâ ex carcere, ac præsentissimo mortis  
periculo liberatum esse. Huic petiti-  
oni meæ, ô Rex, si locus à te dabitur: æ-  
quissimo animo sine dolore, sine querela,  
sine gemitu, animam exhalabo meam:  
nec in ipsa morte Damonis, amici dulcis-  
simi obliviscar.

DIŒNYSIUS. Hoc quidem optatû faci-  
le à me fores, Pythia. Sed miror, quod

**K**

etiam-

etiamnum pro illo deprecereis, qui si dem  
fefellit, & te eò redegit, ut supplicium  
perferre cogaris, quo ille dignus fuit. Ac  
nisi per sceptrum hoc jurassem, te loco  
ipſius jugulandum eſſe: utiq; vitæ tuæ par-  
cerem.

Pythias. Nequaquam, ut mihi par-  
cas, peto: dummodò meo Damoni,  
quem brevi hîc adfuturum præſagit ani-  
mus, ſatis cautum ſit.

Dionys. Illum quidem huc reditu-  
rum, nunquam credidero. Nam fraude  
ac malis artibus reſertum pectus habet.  
Itaq; non eſt, quod de eo ſis ſollicitus. Ve-  
runtamen ſi redierit aliquando: fidei ac  
precibus tuis hoc dabitur, ut ille ab omni  
pena ſit immunis.

Pythias. Pro hoc beneficio, quod  
amico te daturum polliceris, ô Rex: tibi  
quantas animus meus capere poteſt, ago  
gratias: & ut diu feliciterq; huic regno  
præſis, opto.

Jana

Jam perfice, lictor, quæ tibi imperata sunt. Paratus enim sum profunderè sanguinem meum, postquam mei capitis periculo amicum servavi. Est hic, estanimus lucis contemtor: & istum qui vitæ benè credat emi, quò tendit, honorem.

LICTOR. Ergo in genua humi procumbe, Pythia, nam paucis me expediam: & gladio meo acutissimo caput tibi præcidam dicto citius.

*Actus V. Scenæ 6.*

DAMON, LICTOR, SERVUS LICTORIS, DIONYSIUS

EUNUCHUS, SYMMACHUS, THEO-

DORUS CIVES: STHENIUS

SATELLÈS.

**M**E miserum, qui tandiu in itinere sum moratus! Vehementer enim animo angor, ac metuo, ne Pythias fidelissimus amicus meus capite jam sit truneatus. Iste enim strepitus ac  
K 2                      populi